

I V S T I N A B O R R O M A E A E

LUCIS A U R O R A

O D E

Astro ò pudicae praelia Virgini
Molitur atro tortor acinace,
Nec sat Tyrannum purpuratis
Gurgitibus satiat Timavus.
Nec Maximini flumine Lugubri
Mersa est libido sanguinis essera
Cum ferret atrum decolori
Eridanus pelago tributum?
Cui non scelestam barbariae sitim
Fregisset humor, volueret Adria
Caelis Erytro cum cruentum
Urna cadaveribus sepulcrum?
Sed contumacis Principis impias
Agnosco diras, heu lacrimabilis
Irritat aestum vena Vulgi
Euganeis revoluta campis:
Vitaliana caede tyrannicus
Placandus enfis, caesaque gutturi
Mactanda Regis Virgo, digna
Victima Caesareo palato.
Iamque eliquantas Virgineas niues
Iustina cernis, ceu liquidis rosas
Undis vagari liliorum, &
Lactis in Oceano rubere:
Iam dissipatos diluvium finus
Flores cruentum sanguine inebriat,
Et fulgurantes grando gemmas
Purpurea maculat procella.
Ostro renidet qualis eburneus
Candor, maritet quem Assyrius ius croco,

Tantum cruento BORROMAEIAE
Virginis est pretium pudori.
Gemmata qualis purpureis diem
Caelo ferenat crinibus aureum
Aurora, noctis cum subuctae
Sidera luminibus flagellat:
Talis voluto flumine regia
Gemat pyropis nobilioribus,
Aurora lactis Virgo, pulchr
Phosphorus aetherei pudoris.
Hinc iam fereno lumine patrias
Semper Timavo lugubris Adriae
Calcabis undas, lacrimanti
Clarior Erigone Virago:
Flammas rubentis si libet aetheris,
Fluctus sonantis seu libet aequoris
Fraenare, iusta Dij relict
Plus superi tibi parte cedent:
Hinc bellicosus sata Nepotibus
Laurosque dulces, hinc Marathonios
Vincant triumphos, quae trophaea
Diva tuis facilis secundes .
Sed contumaces cum fera Bistones
Vitaliani susstulerint manus,
Volvat serenam pace frontem
Iam studijs melior Minervae,
Hinc Barberinas inspicias aues
Mella è G I B E R T I fingere floribus,
Et BORROMAEIS nectar agris
Purius Idaliae rosetis.
Vitalianis mellea roribus
Divae liquabunt saecula tunc Apes,
Et cedet ingens Hybla ARONAE
Ambrosia: veteres lionores

Comes Barnabas Barbovius Acad. Anim.